DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ENTERITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS SCULLY,

Hibernus.

"Scribimus indocti ——————————."


Hor. *Epist.* Lib. II. 1.

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXVI.


LIBRARY
INSTITUTE

JOANNI SHAW ARMIGERO,

DE URBE KILKENNIA,

CURÆ PATERNÆ QUAM IN SE SEMPER EXERCUIT,

NECNON

STUDII ANXII QUO REI SUÆ ASSIDUE CONSULUIT,

MEMOR;

HOC OPUSCULUM,

UT TESTIMONIUM EXIGUUM,

SED NIHILOMINUS SINCERUM

OBSERVANTIÆ

ANIMIQUE GRATI,

DEDICAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ENTERITIDE.

Auctore Thoma Scully.

Quando non solum omnis morbus, cui corpus humanum obnoxium est, sed etiam vero omne ad medicinæ scientiam quomodocunque spectans, attentionem sibi vindicavit, et ingenia exercuit tot scriptorum me doctrinâ et experientiâ longe longeque præditiorum, lubenter fateor, me, Enteritidem seligendo pro argumento Theseos meæ Inauguralis, aliquid novi in medium non prolaturum esse; neque quicquam amplius facere propono,

quam, quoad potero, morbi historiam tradere, observationibus medicorum optimorum, qui hoc de morbo scripserunt et quorum opera mihi fuit opportunitas consulendi, necnon sententiis Professorum hujus Almæ Academiæ, quorum prælectionibus interfui, consonantem; eamque medendi rationem ostendere, quam comprobavit experientia, et egomet vidi efficacissimam in morbi curatione.

In Nosologiâ Methodicâ CULLENI, Enteritis in Classe Pyrexiarum et Ordine Phlegmasiarum locum habet, et ab illo medico præclaro his verbis definitur:

"Pyrexia typhodes; dolor abdominis pungens, tendens, circa umbilicum torquens; vomitus; alvus pertinaciter stricta.

"Sp. 1. Enteritis (phlegmonodæa) dolore acuto, pyrexia vehementi, vomitu, et alvo astricta.

"Sp. 2. Enteritis (erythematica) dolore et pyrexiâ lenioribus, sine vomitu, et cum diarrhœâ."

Prima de specie solum, mihi est in animo paginis sequentibus agere.

DE INDICIIS MORBI.

Dolorem fixum, acutum, tactu auctum, et sensu caloris in abdomine comitatum, aliquando in variis partibus ventris existentem, rarius in uno puncto hærentem, sed plerumque totum abdomen occupantem, et circa umbilicum præcipue torquentem, enteritide correptus fere primò sentit. Symptomata febris solita quoque adsunt, ægerque rigoribus, horrore cum sensu caloris alternante, siti magna, et oris siccitate afficitur; lingua sicca et albida est; in aliquibus exemplis signa febrilia dolori abdominis præcedunt. Pulsus exilis, admodum durus, et frequens est, ad centum et viginti aut triginta usque, in horæ sexagesimâ parte; anxietas maxima urget, ventriculus male se habet, nausea et vomitus materiæ biliosæ accedunt. Alvus pertinaciter astricta est.

Morbo progrediente, dolor magis sævit, intestina spasmo afficiuntur, abdomen in massulas contrahi videtur. Urina parca et rubra est, et sæpe ægre et cum dolore redditur. Vultus Enteritide

laborantis anxietate maxima occupatur, respiratio ejus concitatur, ægerque brachia sua continue jactat, dum, eodem tempore, truncum corporis quietum tenere nititur.

Notis supradictis, plerumque accessio Enteritidis comitatur; interdum tamen eveniunt casus in quibus symptomata aliter quam dixi sese habent. Pulsus nempè aliquando plenus et mollis videtur, et parùm præter naturam acceleratus. Dr PEMBERTON hoc de morbo tractans, observationem sequentem habet: "Enteritis in some cases proceeds for a day, or even for two days, without exciting uneasiness sufficient to alarm the patient; leading him to imagine, that all his unusual sensations are merely the effect of costiveness." Iterumque dicit, "Sometimes the complaint commences with all the symptoms of a severe kidney affection, and the pain across the loins will absorb all other sense of uneasiness, and may mislead the patient's and practitioner's attention from the bowels: but to this sensation soon succeeds a pain across the abdomen, which is generally most severe about the head of the cæcum, shooting from that spot towards the pubes, and also occupying a considerable portion of the right

flank. The pain is sometimes, however, confined to the navel, and just above it *."

Enteritis interdum etiam incipit diarrhœa, quam dolores et obstipatio excipiunt. In exemplis quibusdam, dolor haud diu eodem gradu sævit, sed modo mitescit, modò ingravescit, nunquam vero omnino cessat.

DE MORBI TERMINATIONIBUS.

Resolutione, Suppuratione, Gangrænâ, vel Scirrho, Enteritis finiri potest; sed his de eventibus fusius loqui differo, donec de Prognosi agetur.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

Diathesis phlogistica, talemque statum inducentia, ut ignavia et victus lautus, huic tanquam aliis phlegmasiis proclivitatem dant. Quidam irritabilitatem intestinorum peculiarem pos-

* Pemberton on the Abdominal Viscera.

sidere videntur, quâ huic morbo ex causis levissimis valde obnoxii redduntur. Una vel plures priores Enteritidis aggressiones, inter causas ad ejus renovationem prædisponentes recenseantur. Nulla ætas hoc morbo immunis est, sed dicitur præcipue homines aggredi nonnihil senescentes, ut post annum quadragesimum aut quinquagesimum. Fortasse in fœminis suppressio mensium diuturna causa Enteritidis prædisponens habenda est.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Causa Enteritidis excitans maxime generalis, ut opinor, est frigus, præcipue cum humore conjunctum, si subito, vel per longum tempus, abdomini ipsi, aut extremitatibus inferioribus applicetur ; et magis adhuc pollet ad hunc morbum ciendum, si corpori jamjam calefacto vel sudanti admotum sit. Sunt multæ aliæ causæ quibus Enteritis induci potest ; scilicet, quæcunque obstructiones in intestinis creant et fæces reddi prohibent, donec hæ, aut mole aut qualitate sua, irritantes fiunt, et inflammationem excitant : hu-

jusmodi inter causas, spasmodica illa contractio canalis intestinorum, quæ interdum in Colica accidit, præsertim si diu continuata sit,—Strictura vel angustia intestini præter naturam,—Hernia Strangulata, et Intus-susceptio, enumerentur.

Morbus de quo agitur, quoque excitetur rebus irritantibus ingestis, quæ aut formâ aut magnitudine suâ, vel quia non concoqui possunt, irritationem magnam movent, aut quæ acrimoniâ sua chemicâ vel peculiari ad inflammationem ciendam pollent. Ad hanc causarum classem pertinent, nuclei duri seminaque larga fructuum, metalli particulæ, sicut nummi et talia, scybala, et calculi qui interdum in intestinis formantur, (hæc quoque, scybala nempe et calculi, nonnunquam mole sua obstructionem efficiunt, ideoque morbum concitant;) præterea adjiciantur acida et alcalina fortia,—latices illi qui spiritus distillati vocantur,—victus lautus larga quantitate sumptus,—purgantia acriora,—bilis acris,—vermes.

Enteritis sæpe Constipationis, nonnunquam Dysenteriæ, sequela est: metastases etiam aliorum morborum, ut Rheumatismi, Erysipelatis, Podagræ, eam producere possunt. Interdum quo-

que recessio eruptionum externarum veterum Enteritidem concitat.

DE DIAGNOSI.

Enteritidem ab aliis morbis dignoscere fere haud difficile est; Colica tamen excepta, quam inter et nostrum morbum, maximi momenti est justam distinctionem instituere; nam etsi Colicam sicut Enteritidem tractare aliquid detrimenti haud inferat, imo, aliquando prorsùs necessarium sit, tamen error contrarius vix non exitialis foret, namque satis probabile est, ut medicus, tali errore deceptus, tempus illud præterire sineret, quo solum ars sua ægro prodesse potuit.

In Colicâ plerumque nulla febris est, pulsus parum afficitur, dolores vagantur nec diu perstant, sed in paroxysmis accedunt inter quos sunt intermissiones perfectæ, dolor præterea sub pressu multum allevatur: dum contrà in Enteritide, pulsus frequens, durus, et debilis est, dolor pressura multum intenditur, et quanquam interdum sibi dissimilis sit, nunc nimirum ingravescens, nunc sese remittens, nunquam prorsus discedit. Hac

de re PEMBERTON his verbis utitur: "I should observe, that the inflammation will often extend to the muscular coat of the intestines, and throw them into violent contractions, by which the pain will be much increased; or by which the pain may be said to *vary*. This variation of the pain might lead us to confound inflammation of the intestines with the colic; but in colic, the pain becomes more acute from a state of absolute ease, and subsides again to the same state, or nearly so: whereas in inflammation of the intestines, the pain varies from a state already very acute, to a state still more acute, and never subsides into absolute ease, or into a state approaching to it."

Inter Enteritidem et Gastritidem distinguere non multum refert, nam eadem fere remedia morbis utrisque conveniant; tamen vomitus magis urgens et continuus, dolorque in epigastrii regione crucians, ardens, rebus ingestis auctus, (quæ vomitu extemplo rejiciuntur), hunc morbum ab Enteritide distinguent.

DE PROGNOSI.

Prognosis semper summâ cum cautione dicenda est; nam tanta est hujus morbi proclivitas in gangrænam desinere, ut hic eventus infaustus, ubi inflammationi remediis tempestivis non occurritur, sæpe acciderit, et ægrum e medio tulerit, etiam horas intra viginti quatuor. Itaque prognosis infaustissima est cum evenit gangræna, cujus præsentia progressusque signis sequentibus denotantur.

Dolor subito cessat, (ex quo æger ferè in spem salutis fallacem erigitur), dum eodem tempore vires deficiunt, pulsus irregularis et adhuc debilior evadit, distentio abdominis intenditur, vultus collabitur, et etiam aspectum cadaverosum induit, syncope, ischuria, singultus, et sudores frigidi oriuntur, delirium interdum adest, summa inquietudo et anxietas accedunt, tenesmus plerumque urget, sed aliquando fæces nigræ dejiciuntur, motus artuum convulsivi et respiratio laboriosa sequuntur, ægerque demum in morte quiescit.

Hîc notare oportet, exempla anomala interdum accidere, ubi inflammatio magna vel etiam gangræna ipsa evenire dicitur, quanquam dolor valde levis sit, et alia signa morbi gravia, febris nempe, nausea, et vomitus, omninò desint. Talibus in exemplis tamen, pulsus fere tardus, potius debilis, et varians est, abdomen tensum, durum et nonnihil dolens est, faciesque aspectum insolitum induit. Oculi aliquando terrorem exhibent, et livor quidam circum labia apparet; interdum quoque sitis adest, et lingua ægri malè se habet.

Insuper observandum est, ut alia pars intestinorum gangrænâ corripi possit, dum alia inflammatione acutâ adhuc laborat; hinc igitur constabit, cessationem doloris non semper evidentem esse. Præterea, quoniam exempla memorantur, in quibus portiones intestinorum sphacelo correptæ ano dejectæ sunt, ægri tamen salutem recuperaverunt, inferre licet, gangrænam, etsi plerumque, tamen non necessariè, fatalem esse.

Interdum in Suppurationem, rarius in Scirrhum, Enteritis desinit: prognosis, his in casibus etiam, valde infausta est; nam plerumque exitus eo tantùm ab eventu gangrænæ distat, ut non tam cito lethalis sit; sed serius ociusve, morbus

exitium ægro afferet. Nonnunquam vero salus suppurationem excipit.

Notæ sequentes puris formationem indicant. Dolor, postquam gradu modico dies septem aut plus eo continuavit, multo lenior fit, sed non prorsus abit; eodem ferè tempore æger sensum ponderis in abdomine habet, et rigoribus frequentibus aliisque febris hecticæ signis corripitur; interdum quoque materies purulenta in dejectionibus detegenda est.

Cum inflammatio lenis per longum tempus existit, neque ad cessationem nec incrementum tendens, signis suppurationis simul absentibus, terminatio in scirrho denotatur: æger tamen scirrho existente, sæpe doloribus colicam referentibus affligitur.

Quum remedia idonea tempestive adhibentur, Enteritis fere in Resolutionem desinit. Si dolor gradatim minuitur, si abdomen pressuram parvo incommodo tolerat, et distentio ejus decrescit, dum eodem tempore pulsus plenior et mollior fit, nausea et vomitio cessant, dejectiones fæcum naturales redduntur, sudorque liber et generalis exundat, hic eventus optandus expectetur, et prognosis fausta cautè pronuncietur.

DE CORPORIS POST MORTEM INSPECTIONE.

ABDOMINE sectione aperto, inflammationis violentis conspiciuntur notæ. Tunicam externam serosam intestinorum, quæ naturaliter pallida est, sæpissimè invenimus colore rubicundo, a sanguine rubro in vasis ejus minutis accumulato pendente. Membrana interna mucosa quoque, eadem de causa, admodum rubet, et interdum sanguis etiamque lympha coagulata super eam variis in locis effunduntur.

In casibus aliquibus peritonæum inflammatur, et strato lymphæ obducitur. Diversas inter partes intestinorum sæpe inveniuntur adhæsiones. Ulcerationes etiam haud raro videntur, præcipue in plenioribus intestinis, et tunicam eorum externam plerumque occupantes; hæ interdum intestinum erodunt, et fæces in abdomen transire sinunt, sed maxima ex parte, (si verbis BAILLIE * uti fas est), " that portion of the gut where the ulcer is situated, adheres by inflammation to some

* On Morbid Anatomy.

other portion, or to a neighbouring viscus, and a communication is formed between the one and the other." Sæpe pars magna intestini sphacelo correpta reperitur, quæ tunc colorem lividum et subnigrum exhibet, et structura ejus eo usque mutatur ut vi etiam levissima disjungi possit. In gangrænâ quoque magna aëris copia evolvitur et in intestino accumulatur.

Nonnunquam tunicæ intestinorum densantur, et eorum flexuræ mesentericæ interdum, aliæ aliis, implicantur, etiamque in nodum verum colligantur. Contractiones intestinorum frequenter, et aliquando Intus-susceptio quoque deteguntur.

DE MEDENDI RATIONE.

Cum Enteritis acribus ingestis sicut venenis moveatur, aut de Hernia Strangulata pendeat, nemini, scientia Medicinæ ullo modo prorsus imbuto, latere potest, iis imprimis occurrendum esse; huic, per *taxin* vel operationem idoneam chirurgicam; illis, per ea remedia quæ aut experientia aut chemiæ scientia materiarum pec-

cantium propria esse antidota docuit. His de rebus non meum est hic disserere; itaque inter tractandum de Enteritidis curatione, morbum in forma ejus simplice tantum spectabo.

Ex omnibus Enteritidem adversus remediis, sanguinis detractio maximâ et certissimâ vi pollet, neque ullo in morbo magis postulatur, et quo citius efficitur, eo efficacior erit. Longùm medicis notum fuit, hoc remedium in omnibus inflammationis exemplis maxime prodesse, si sanguis pleno rivo ex vulnere venæ amplo educatur, utpote eo modo, non solum effectus ejus in inflammatione submovenda citius producuntur, sed insuper, vires ægri minus franguntur, ideoque locum servamus remedium repetendi, quod haud raro requiritur, et faciendum est, quotiescunque signa postulant, statusque ægrotantis non vetat.

Quod ad sanguinis quantitatem uno tempore educendam attinet, ea ab effectibus inter effluendum pendere debet: plerumque sanguis, modo jam memorato, eo usque effluere sineretur, ut proclivitas ad animi defectionem inducatur. Pulsus exilitas, et ægri debilitas (quæ minime reverà existit), missionem sanguinis non prohibent; namque post venæsectionem, fere arteriarum ictus

pleniores et molliores fiunt, simulque vires ægri reficiuntur. Post horas quatuor vel quinque a prima venæsectione, si inflammatio non subigatur, sanguis denuo mittendus est, et etiam iterum, breve post tempus, si symptomata etiamnum indicant, ratione tamen virium, ætatis, habitusque ægri, semper habitâ.

Cum generali sanguinis detractioni, corpore scilicet jam infirmato, locus ulterior plane nullus sit, dum aliquid inflammationis adhuc restat, hirudines quadraginta aut plures abdomini imponere multum proderit; namque exinanitio hoc modo effecta, partem unde sanguis elicitur, partesque etiam vicinas egregie, totum vero corpus parum afficit. Postquam decesserunt hirudines, balneum calidum fluxum sanguinis multum adjuvabit; simulque, dolorem minuendo et irritationem allevando, commodum insignem præbebit. Fotus calidi quoque maxime proficient.

Inflammatione modis supradictis magna ex parte domitâ, morboque quasi locali facto, emplastra vesicatoria ampla abdomini applicata multum beneficii præbebunt, et præterea actioni purgantium, de quibus nunc pauca dicturus sum, insigniter favebunt.

Ad purgantia tamen neutiquam confugere licebit donec inflammatio minuitur, namque si citius adhiberentur, morbum augerent, stimulum cumulando partibus jamjam quam maxime excitatis. Inflammatione vero multùm minuta, tunc operam daremus evacuationes ex intestinis movere purgantibus lenibus, ut Oleo Ricini ex Aq. Menthæ Piperitæ sumpto,—Infuso Sennæ,—aut Solutionibus Salium Neutrorum, dosibus parvis et sæpe repetitis. Purgantium actionem Enemata emollientia vel laxantia maxime auxiliantur, et ea larga (scilicet ad lb. iv. vel vi.), esse oportet, ut vice fotuum internorum fungantur. Hoc modo quoque Enemata magnâ vi ad vomitum sedandum pollent.

Nausea[1] et vomitus qui Enteritidem comitantur interdum ita urgent, ut ventriculus purgantia supra enumerata retinere recusat. Tum ad irritationem sedandam adhibeamus haustus salinos effervescentes, quibus guttæ paucæ Tinct. Opii addantur, aut demus granum vel granum cum semisse opii solidi; sed si hæc etiam rejiciantur, Tincturam Opii, formâ Enematis, dare licebit. In mente tamen tenendum est, stimulum

Opii nocere, nisi prius inflammatio multum subigatur. Pilulæ ex Submuriate Hydrargyri et Extracto Colocynthidis compositæ, pro medicamento purgante, in hoc morbo laudantur, utpote ob molem suam parvam ad vomitum excitandum minus aptæ sunt. Pari ratione Oleum Crotonis, medicamentum nuper in Medicinam Britannicam allatum (cujus guttæ duæ vel tres sumantur e saccharo, aut in pilulam ope micæ panis formatæ), fortasse prodesset.

Enemata ex infuso foliorum Nicotianæ Tabaci interdum cum commodo exhibentur; sed, ut periculo non vacant, ad hæc nunquam recurrendum est, nisi prius alia remedia frustra tentata fuissent. Hydrargyri Submuriatis et Opii conjunctio laudes insignes acquisivit, utpote quæ sudorem elicere, et irritationem sedare dicitur, dum eodem tempore spasmos solvit, somnumque ægro conciliat. Tamen Professor ALISON in prælectionibus suis dicit, sibi ab experientiâ persuasum esse, hoc remedium commendationem quam accepit minime merere, et fluxum alvi dysentericum sæpe post ejus usum restare. Frigus abdomini per pannos linteos aquâ madefactos applicatum, et etiam injectio aquæ frigidæ in intestina, a qui-

busdam prodesse dicuntur; sed multum usus hæc remedia non obtinuerunt.

Hydrargyrus purus in Enteritide exhibitus fuit, falsa sub idea ut pondere suo obstructionem intestinorum superaret; sed tale remedium ineptum et etiam valde periculosum est. Scriptor articuli de Constipatione in libro "Rees Encyclopædia" dicto, apposite verbis sequentibus utitur: "There are cases on record, in which the quicksilver thus administered, had accumulated in the intestines, formed itself a sac by its weight, and at length produced death, by passing into the cavity of the abdomen, in consequence of the rupture of this sac. It is obvious, indeed, that the medicine could not ever force a passage by its weight along the course of the bowels, since it must ascend occasionally, if the body is erect; and the whole passage must be nearly horizontal, if the patient be in a recumbent posture."

Cum, remediis frustra adhibitis, gangræna adesse videtur, ad usum vini, cinchonæ, et talium confugiendum est; sed rebus sic sese habentibus, ferè de ægro actum est.

Quod ad diætam in Enteritide attinet, ex decocto avenæ, decocto hordei, sero lactis, jusculo bovino, talibusque constare debet: victus omnis stimulans aut concoctu difficilis sedulo vitandus est.

Inter convalescendum, ægrum gradibus tardis ad diætam ejus priorem revertere oportet. A frigore cavendum est usu vestitus calidi, alvusque diætâ idoneâ vel medicamentis laxantibus facilis conservanda est.

FINIS.